

sive ministeria, sic etiam in equis. Nam alii sunt asini, quibus cum dignitate viri etiam principes vehuntur. De Jair judge Israel dicitur Judic. 10, habuisse *triginta filios, totidem civitatum principes, et ascendentes septuaginta pullos asinorum.* Et Abdon Judic. 12, habuisse traditur *quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes ascendentes super triginta pullos asinarum.* Hi autem asini Judic. 5, versiculo 10, nitentes vocantur asini, id est, accuratiū nutriti ad honestum et elegantem usum; ad principes enim loquebatur, qui eo capite dixit: *Cor meum diligit principes Israel, etc.* Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in iudicio, etc. Alii sunt non ad dignitatem et honorem, sed ad dura sordidaque ministeria, nempe ut cogantur in jugum, et trahant sive plastrum, sive aratrum, aut dorso ferant onera, qui dossuales dieuntur. Hæc autem ὑπόγεια, sive subjugalia, qui jugo subjiciunt cervicem. Talis erat asina et pullus illius quibus Christus Hierosolymam ingressurus insedit. Nam cùm ille pauper ingredetur et humilis, humili ac vili asello ingredi voluit, atque ideò non sumpsit ex potentiorum stabulis nitentem asinum, sed humilem et rusticis assuetum ministeriis, ex rusticā villā; id enim valet *castellum*, in quo asina fuerat alligata, græcè, οὐρανός.

Sic ergo duo ego equorum genera considero: alii enim sunt, qui jugales, seu ὑπόγειο vocari possunt, qui plastrum trahunt, aut aratra, aut quos elitellarios, seu dossuales vulgus hominum vocat. Hi verò equi magnos usus rationibus regiis afferre poterant, vel ad quadrigas, quarum tunc in bello magna commoditas. Nam paulò ante Palæstini, ut habes lib. I Regum capite 13, versiculo 5, in regione Israëlitarum *triginta millia curruum intulerunt, seu tot currus, in quibus triginta millia hominum vectari poterant.* Deinde ad rem rusticam, et ad templi, seu domus suæ constructionem; ad convehenda saxa et ligna, reliquaque ad tantum opus è regione longinquā materiam. Tot autem equos non habuit cùm primū regnare ceperit, quia neque accepit à parente, neque ipse commode ex aliis regionibus comportare potuit. Sed quando jam se ipsum magis in suo regno et statu confirmārat, equorum ad ingentem illam magnitudinem numerus excrevit. Hæc enim per prolepsim, id est, anticipatā narratione antesum tempus posita sunt, ut ostendatur quanta fuerit supra reges alios Salomonis potestas et gloria.

ET DUODECIM MILLIA EQUESTRIUM. Hic sine du-

bio de illis equis est sermo, qui sternuntur ephippiis, et equites cum gloriâ et dignitate portant, quorum minor est numerus, licet non sit exiguis, quia hi minus quam alii necessarii, cùm neque tunc aut arderent, aut timerentur bella, et tantum viderentur ad regii splendoris ostentationem comparati. In libro secundo Paralipomenon capite primo, versiculo 14, paulò aliter: *Congregavit Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadrigeniti currus, et duodecim millia equitum.* Conciliatio non difficilis; nam sicut equi in omni fermē natione, maximè cùm sermo est de re militari, pro equitibus sumuntur, sicut cojusvis ordinis instrumenta pro illorum hominum ordine sumuntur, unde missi dicuntur equi, quia missi sunt equites, et in acie esse mille equos, quia tot sunt equites, et mille hastæ pro mille hastatis, et tuba pro tibicine, et cornu pro cornicine, sic etiam eques vicissim pro equo interdum usurpatur. Neque hic dicendi modus apud Latinos insolens, qui equum non nunquam equitem appellant. Sie sanè Servius explicans illud Virgilii lib. 5. Georgic.:

*Frena Pelethroni Lapithe, gyrosgne dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.*

Idem Ennius citatus à Macrobius lib. 6, cap. 1. Ex quo fortasse sicut alia plurima sumpsit Virgilius:

It eques, et plausu cara concutit ungula terræ.

Plura Aulus Gellius in hanc sententiam lib. 18, cap. 1, ubi alia citat antiquorum poetarum carmina, et tandem addit: *Pleraque veterum ætas et hominem equo insidentem, et equum qui insidetur, equitem dixerunt. Propterea equitare etiam, quod verbum è vocabulo equitis inclinatum est, et homo equo utens, et equus sub homine gradiens dicebatur.*

Sed est illa magis accommodata atque olvia solutio, quam nuper adduxi, equitem hoc loco idem omnino valere, quod equum. Si enim Salomon equites habuit, quibus ad maiorem gloriæ suæ, atque divitiarum ostentationem incederet, præsertim cùm provinciam lustraret, aut quos, si quando bellum ingrueret, paratos haberet et promptos, necessarium etiam fuit ut equos aleret pro equitum multitudine. Sanè progreedi solitus Salomonem, cùm animi gratiâ foras egredetur, paulò longius ab orbe cum eleganti comitatu equitatuque copioso, docet Josephus lib. 8, cap. 1:

Habuit, inquit, currus mille, equorum viginti

millia. Hi cùm pulcherrimi fuere, tum ad cursum excitatissimi, ut collati ad cæteros omnes post se relinquenter. His decus addebat equites flos juventutis procerastaturā promissoe capillito conspicui, et tunicas à Saranā purpurā induit. Ad hæc ramentis auri capillos quotidie aspergebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgere capitibus eorum reflecterentur. Hi armati et pharetris succineti regium currum stipabant, etc. Quod verò etiam pacato populo et hostibus undecimque silentibus, paratum haberet ad quascumque inimicorum irruptiones exercitum, et copiosum equitatum ex Hebreo milite (neque enim externum conduxit, neque Hebreum ullum in agris aut rebus rusticis occupari voluit) constat ex lib. 2 Paralip. cap. 9, versiculo 22: *De filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces et praefecti currum, et equorum. Et iterum ibidem cap. 8, v. 9: De filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis; ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, et principes quadrigarum et equitum ejus; omnes autem principes exercitus Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui eruditabant populum.*

Antequam hinc emergam, duo mihi observanda: Alterum visum esse quibusdam tot equorum millia, aut certè magnorum illorum partem esse ex equabus, equisque admissariis ad focundam equini generis foeturam, quod in Synopsi tradit Athanasius: *Grem, inquit, habuit equarum, quas foeturae gratiâ alebat, quadraginta millia; equorum verò, currum duodecim millia.* Cujus sententiam alii minoris notæ secuti sunt, ut Cedranus in Compendio, sed neque ex texto colligitur, neque alii probant. Septuaginta lib. 2 Paralip. cap. 9, quatuor millia numerant equarum; unde tamen sumpserint non video. Alterum est, his quæ habemus hoc loco, et libro secundo Paralipomenon capite primo, non satis concinere quæ dicuntur libro secundo Paralipomenon capite 9, versiculo 25, maximè si quæ nunc habemus Hebraicum textum attente consideremus. Latinus sic habet: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et currum, equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem. Hebreus longè aliter: Fuerunt itaque Salomoni quatuor millia stabularum, equorum, et currum, et duodecim millia equitum quomodo è recentioribus plerique converuntur. Septuaginta, fuerunt Salomoni quatuor*

mille feminae equæ ad currus, et duodecim millia equitum. Si lectionem sequaris Hebraicam, sententia est non obscura, nec difficilis: tantum enim numerantur stabula, sive equilia, ubi nutriebant equi et equites, qui aut illa curabant, aut equos ascendebant; de equorum verò numero, nullus sermo. Quare hic locus cum aliis nullâ ratione pugnat. Sed quia nobis tenenda omnino est Vulgata translatio, et pro illâ certandum, aliter hic locus exponendum, ita ut cum alio simili in hoc capite quarto libri tertii Regum omnino consentiat, in hunc modum: *Habuit Salomon in stabulis currum, id est, equorum currum, quadraginta millia, et equorum equestrium, id est, ad cursum potius, et dignitatem, quam ad onus, duodecim millia: quibus totidem respondent equites, qui illis insideant, et Salomoni serviant, sive ad regium fastum, sive ad bellicos usus.* Hæc porrò stabula distributa erant in plures civitates, ubi tot equorum millia commodius alebantur, quæ ab equorum stabulis, seu præcipiis nomen accepere, sicut Hippo in Africâ, quæ equile sonat, et Olyssipo, seu Ulyssipo in Hispaniâ Lusitanicâ, quæ ab equis sive alienis, sive servandis existimatur habuisse nomen. Id enim valet illud: *Constituitque eos in urbibus quadrigarum.* Josephus explicatiū libro 8, capite secundo: *Distributis, inquit, oppidatim curribus, et in singula certo numero ad alendum præfinito, circa se quidem paucos reservavit; loca verò ubi alebantur, currum oppida appellavit.* Quærerit Abulensis hoc libro tertio, capite decimo, quæst. 11, et libro secundo Paralipomenon, capite primo quæst. 26, an peccaverit Salomon congregando tot equos, cùm Deuteronomio 17, versiculo 16, videatur esse prohibitum. *Cum fuerit, inquit, constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducat populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus.* Et tandem illum vindicat à culpâ saltem gravi, cum quo sentiunt alii nonnulli. Ratio verò illorum est, quia neque Salomon illis equis utebatur ad inanem majestatis ostentationem, aut alias ob causas, in quibus aliqua appareret peccati turpitude: qualis esset injuria, quæ populum opprimeret, et illum sive suis commodis, sive ornamenti exueret. Quæ tune non fecit Salomon, licet postea gravissimis se sceleribus inficerit: at principio justitiam coluit, et divinarum legum studiosus et vindictus fuit.

Sed plures alii in hæc equorum multitudine non putant à Salomone abuisse culpam, quia

præceptum grave est, et verbis propositum non obscuris, et ut erat populus ille ingenio levi, et facilè permutabili, et ad omnem religionem volubili, ac prono, si equorum haberet commoditatem et copiam, non solum religione, quod faxit sæpè, sed etiam patriam, quam religione potiorem habuit, facilè mutaret, et in Aegyptum, quod tempore Moysis aliquando tentavit, redire conaretur. Hæc gravis ratio fuit, propter quam jussit Dominus Josue cap. 12, versiculo 4, ut quos caperet ab inimicis equos subnervaret, et quadrigas dederet incendio. Quod ipse fecit, et David libro primo Paralipomenon capite 18, versiculo 4, cùm mille cepisset hostium quadrigas, omnes subnervavit equos, et ex tanto numero centum tantum sibi quadrigas reservavit, ut impletet præceptum, quod regibus equorum multitudinem admit. Quare plures Salomonem peccati damnant, quia hic numerus magnus est, quantus fortasse nullus fuit in totâ terrâ promissionis, neque ante hoc tempus, neque fortassè postea. Hos enim equos neque comportavit ex terrâ Israeliticâ, quia fortassè non inveniret, quoniam lex minus illorum lavebat propagandæ soboli; sed adduxit ex Aegypto et Coa, 3 Reg. 10, versiculo 28: *Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, et de Coa: negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducabant.* Sic autem multis post annis erant rari equi, atque equites in terrâ promissionis, ut dixerit Rab-saces Ezechiae tempore, ut habes Isai. 36: *Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum.* In quem locum sic Hieronymus: *Quod Ezechias illorum ascensores præbere non possit, non de imbecillitate venit populi Iudeorum, qui equitandi carebat scientiâ, sed de observatione mandatorum Dei, qui per Moysem super rege præcepit Israel: Non multiplicabit sibi equos.* Neque ratio Abulensis, meo judicio, quidquam efficit; neque enim hanc equorum, quadrigarumque multitudinem habuit Salomon in ipso regni primordio, sed cùm jamdudum in regio consedisset solio. Hæc enim per anticipationem hoc loco narrata sunt, quia de Salomonis agebatur potentia. Et quidem 2 Paralipomenon capite 9, versiculo 29, hic idem proditur equorum et quadrigarum numerus; et tamen tunc Salomonis regnum jam declinabat ad occasum. Et fortassè sumptus, qui in alendis tot equis non immodecūs, in causâ fuit, ut populum ita gravaret duriter, ut oppressus onere clamaret coactus ad filium Roboam, cùm primum

pater in vivis esse desiit, 3 Reg. 12, versiculo 4: *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, et serviemus tibi.* Hanc quæstionem erudivit, et latè tractarunt Nicolaus Serarius in cap. 11 Josue q. 7, et Pineda in Salomone prævio libro 7, cap. 14; ibi plura invenies, à quibus ego prudens abstineo.

VERS. 27. — **NUTRIEBANTQUE EOS SUPRADICTI REGIS PRÆFECTI** (1). Duodecim illi præfeti, de quibus supra versiculo 7, sicut suis quique mensibus ex variis regionibus regiæ mense necessaria ministrabant, sic etiam tot equis eisdem temporibus alimenta præbebant, et quia non equi omnes sive curules, sive equestres in aliis nutriebantur stabulis à Hierosolymâ remotis, sed quosdam ad familiares, et quotidianos usus secum in urbe retinuerat Salomon, ut constat ex lib. 1 Paralipomenon capite 1, idèo præfeti illi duodecim non solum aliis equis, sed etiam his qui nutriebantur Hierosolymæ de opportuno pabulo providebant; quocumque loco illos Salomon traduceret: id enim valet quod statim dicitur: *In locum ubi erat rex.* (2)

VERS. 29. — **DEDIT QUOQUE DEUS SAPIENTIAM SALOMONI, ET PRUDENTIAM MULTAM NIMIS, ET LATITUDINEM CORDIS QUASI ARENAM** (3). Sapientia ad

(1) Equos scilicet, de quibus dictum est, curabant. Quare comparabant illi panes et dapes pro mensâ regis, simulque paleam et hordeum in usum equorum. Hic sensus est Vulgatæ, Septuaginta, et Josephi; sed paulò alter Hebreus: *Alebant hi præfeti regem Salomon et omnem appropinquantem ad mensam regis.* Non sinebant deficerem revi; et hordea et paleam equis et dromedariis deferebant ad locum ubi esset rex. Igitur negotium illi habebant, ut curarent ea quæ pertinerent ad regem, aulam et equos, quorum erat usus in regis comitatu, non verò cæteros, per varia stabula in toto regno distractib. Hebreus fert aulicos Salomonis innutrisse principem cæterosque omnes, qui mensæ ejus discumbebant. (Calmet.)

(2) **VERS. 28.** — **HORDEUM ET PALEAS EQUORUM ET JUMENTORUM.** Apud Turcas, Persas, totumque fermè Orientem, avena deest; et equi nonnisi hordeo et palea aluntur. Hebreum Rakesch, quod hic redditum *jumentum*, sonat quolibet animal, quod currui jungitur, et vulgari equo velocius. Sunt qui dictum accipiunt de equis cursoribus; alii de dromedariis, alii de mulis. Bochartus, quem ducem in hoc argumento, diu multumque à se versato, libenter sequimur, exponit de equo mira pernicitatis; Junius et Piscator de equis veredariis. (Calmet.)

(3) Enfin il paraît que le Saint-Esprit a voulu nous représenter Salomon comme un prince en qui toute la science, toute la sagesse et toute l'intelligence que possédaient ou qu'a-

rerum cognitionem spectat, de quâ statim à versiculo 33, multa, ubi de rebus multis, earumque proprietatibus disputâsse dicitur. Prudentia ad rerum tam communium, quâ privatâ spectat administrationem, quæ juxta diversos rerum articulos, et circumstantias, aliter atque aliter deliberat, consiliaque sua non eadem semper ratione dispensat. Hæc maxima sunt animorum ornamenta, et ad rectam administrationem necessaria subsidia. Sed est aliquid præterea necessarium, quod si absit à principe, magnis respublica laborabit incommodis. Novimus enim multos, quibus sapientia vaient jamais possédée tous les hommes de la terre, se trouvait comme rassemblée. Et nous pouvons bien nous le figurer en ce point comme cet ange qui brillait entre tous les anges, ce Lucifer, le plus éclairé de tous les esprits. Mais si le Seigneur a voulu nous en tracer cette image dans ses Ecritures, c'a été sans doute pour nous mieux convaincre par ces deux exemples, du plus éclairé de tous les anges, et du plus sage de tous les hommes, que ni les plus hautes connaissances de Lucifer, ni la sagesse la plus profonde de Salomon ne devaient point être recherchées par ceux à qui la chute si redoutable de l'un et de l'autre doit plutôt apprendre à souhaiter avec saint Paul de se tenir dans les bornes d'une science et d'une sagesse modérée.

En effet, lors même que cet Apôtre exhorte les premiers fidèles à désirer les dons les plus excellents, il leur découvrait aussitôt une voie beaucoup élevée au-dessus de tous ces dons, de peur que ces dons quoiqu'excellents en eux-mêmes ne leur devinssent un sujet de chute comme à Lucifer et à Salomon. *Quand je parlerais,* leur disait-il, *le langage de tous les hommes et des anges mêmes, si je n'avais point la charité, je ne serais que comme un aïrain sonnant, et une cymbale retentissante. Et quand j'aurais le don de prophétie, que je pénétrerais tous les mystères, et que j'aurais une parfaite connaissance de toutes choses; et quand j'aurais même toute la foi possible, et capable de transporter les montagnes; si je n'avais point la charité, je ne serais rien.* Voilà quelle était la vraie science et la véritable sagesse de saint Paul, qu'il a inspirée à tous les Chrétiens, et qu'il a lui-même préférée aux plus sublimes connaissances qu'il avait reçues étant ravi en esprit jusqu'au troisième ciel. C'est par cette règle que nous devons tous envisager ce que marque ici l'Ecriture, de cette vaste et prodigieuse étendue de l'esprit de Salomon, qu'il nous est permis d'admirer comme un effet surnaturel de la toute-puissance de Dieu, qui voulait tracer en sa personne une faible image de la sagesse infinie de son Fils; mais que nous ne devons point envier comme un grand honneur, puisqu'elle devint à ce grand prince, par le mauvais usage qu'il en fit, une occasion de chute, et que l'âme la plus simple et la plus humble deviendra en un instant dans l'autre monde sans comparaison plus éclairée que n'a été Salomon, et le premier même de tous les anges.

(Sacy.)

inerat, et prudentia rara; quibus tamen angustus erat animus, et timidus, qui quod rectum esse noverant, et ex usu communi ac proprio, illud tamen ad opus conferre non audebant, quia illos aut metus retardabat, aut rustica potius, quâ liberalis observantia, ne quod facta opus esse judicabant, id reipsa suo tempore præstarent. Quod in re bellicâ experimur quotidie cum magno rerum publicarum incommode; multi enim mirificam habent rerum militarium intelligentiam, quorum sunt in rebus dubiis præclara consilia, at angusti sunt spiritus et minimè audaces, ex quo fit ut inanis sit illorum sapientia, et consilia, licet opportuna, à successu tamen omnino vacua. Sanè de Alexandro illa eadem produnt historici, quæ nunc de Salomone legimus, licet non eodem omnino gradu: nam in dubiis apparebat sapientissimus, et quod in deliberando consilium probavisset, strenue statim atque constanter executioni mandabat. Est præterea latitudo cordis illius tanta, tamque foecunda capacitas, ut eodem tempore, quo illam consecutus est, possit multa disceptare diversa, et cum varia sint, de illis sine impedimento reddere responsa. Item cùm multa occurrant diversa, quæ mentem distrahant, quæ non facile multis cum aliquo studii, operæque pretatio vacare potest, quæque dum multa sequitur, nihil assequitur, Salomonis tamen animus sic erat capax, sic latus, ut illum nulla rerum turbaret, nulla confunderet magnitudo. Arena maris, aut pulvis terræ, et similia, in rerum magnarum, cuiuscumque generis illæ sint, comparationem adduci solent. Fortassè idèo Salomonis animus hyperbolice cum arena comparatur, quasi tot rerum cognitiones habuerit, quot in maris littore arenæ numerantur.

VERS. 30. — **ET PRÆCEDERAT SAPIENTIA SALOMONIS SAPIENTIAM OMNIUM ORIENTALIUM ET AEGYPTIORUM** (1). Fortasse hic ostenditur scientia ma-

(1) In Scripturâ æquè et apud profanos sapientia Orientalium celebratur. Meminit Daniel sapientum et divinorum Chaldaeorum, et Idumææ sapientes Abdias v. 8 memorat: *Perdam sapientes de Idumæâ.* Job ejusque amici inter sapientes Orientis sibi locum vindicabant, quemadmodum inter illos recensebatur Balaam prophetæ, qui à Petor ad Euphratem venerat. Fatentur Graeci philosophiam tenere se ex Orientalibus, è quibus prima semina divinæ hujus scientiæ primi illi magistri Graeciæ accepterint. Obtrudunt nobis Magos Persarum, Chaldeos Babyloniorum, vel Assyriorum, Gymnosophistas Indorum.

Reliquos verò Orientales sapientiæ et scientiæ laude superabant Aegyptii. Cùm enim